QUÆSTIONES ANNO 1866

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS DISCUTIENDÆ

in Archidiœcesi Quebecensi

MENSE JANUARIO.

Quum quidam maximi pretii ager venderetur sub hasta, Petrus et Paulus, uterque ditissimus, soli licitatores adsunt. Post paucas licitationes, Petrus quinquaginta libras Paulo promittit ut desistat a licitatione, et ita ager vili pretio venditur Petro. Uterque autem piis exercitiis vacans, aliqua anxietate premitur in conscientia, et a confessario suo quærit :

1° *An liceat pactum facere cum aliis ne plus offerant in venditione sub hasta ?*

2° *An possit aliquis alium rogare ne licitet contra se ?*

3° *An in venditione sub hasta possit secure aliquis emere infra infimum valorem rei ?*

4° *Quid in casu injungendum Petro et Paulo ?*

Sempronius novus parochus nullum invenit conopæum super tabernaculum in quo asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, neque super ciborium. Statim jubet fieri quinque conopæa variorum colorum liturgicorum pro tabernaculo, et unum album pro ciborio. Quæritur :

1° *An sub gravi præcipiatur usus conopæi, tum supra tabernaculum, tum supra ciborium ?*

2° *Cujusnam coloris debeat esse illud conopæum, et an aliquando possit esse nigri coloris ?*

MENSE MAIO.

Sempronius parochus, in concione de usuris, affirmat nunc nullum esse inquietandum propter quantascumque usuras ab ipso perceptas, quia lex quæ illas definiebat abrogata fuit, et quia Sancta Sedes respondit nullum esse inquietandum, dummodo paratus sit stare mandatis Sedis Apostolicæ, si unquam statuat aliquid esse restituendum. Quæritur :

1° *Quinam est genuinus sensus variarum responsionum Sanctæ Sedis circa usuras ?*

2° *Quodnam interesse percipi possit tuta conscientia, in hac regione ?*

3° *Quid dé sententia Sempronii ?*

Quæritur 1° *an prima ablutio corporalium, purificatoriorum et pallarum fieri possit a clericis qui non sunt subdiaconi, vel a monialibus ;* 2° *quomodo, et a quibus fieri debeat hæc ablutio ?*

MENSE JULIO.

Gelasius olim mercator ditissimus, cessionem bonorum coactus est facere tempore belli et pestis. Omnia bona ejus creditoribus assignata sunt, qui ei dimissionem et condonationem juxta formam legalem scripto dederunt. Nunc autem per industriam, et mediante bona fama, divitiis affluere iterum incipit, et a confessario suo quærit :

An teneatur in conscientia qui bonorum cessionem fecit bona vel mala fide, sed juxta omnes præscriptiones legis, solvere integraliter debita sua, si postea ad sufficientem fortunam evehatur ?

Sempronius parochus, cum jam in missa solemni die dominica processisset usque ad offertorium, animadvertit lapidem altaris unici confractum esse in plures partes. Missam nihilominus perficit, et sequenti die missam defunctorum celebrat, præsente corpore cujusdam parochiani quem concives pluris æstimabant, ut patet magno concursu in ejus exequiis. *Quid in casu ?*

MENSE OCTOBRI.

Sempronius parochus rare prædicat in sua parochia. In festis solemnioribus concionem longissimam habet, et tunc, præmissa præparatione matura, optime populo suo explicat sanam doctrinam juxta seriem catechismi.

Caius, vicinus parochus, singulis dominicis et festis prædicat per quadrantem, sed nullam præmittit præparationem, neque ordinem ullum sequitur ; modo loquitur de deordinationibus quæ in parochia nuper acciderunt, modo super aliquem textum evangelii diei, quem celebrando missam solemnem elegit, homiliam facit.

Robertus, confessarius eorum, post duas vel tres monitiones, eis tandem absolutionem denegat, dicens eos non fungi suo officio circa prædicationem. Inde quæritur :

1° *Quid statutum fuerit circa obligationem prædicandi, quæ parochis incumbit ?*

2° *Quid de sententia Roberti in casu ?*

Caius neo-presbyter baptismum prima vice conferens multis torquetur anxietatibus circa sequentes rubricas. Quærit igitur :

1° *An debeat physice tangere caput infantis per totas orationes* Omnipotens sempiterne Deus.... *et* Æternam ac justissimam...., *vel moraliter tantum, aut solummodo in ipso orationis initio ?*

2° *An exorcisando salem, vel puerum, debeat manus extentas habere super exorcisandum, vel potius junctas ?*